

*Indicia homicidii clandestini.*

1. Homicidii occultè & quasi furtivè perpetrati indicium est, si reus inquisitus vel accusatus eo in loco, in quo homo necatus dicitur, aut propinquo fuerit visus cum armis, aut vestimentis sanguine conspersis, *Zang. d. c. 2. num. 152. cum seqq.* Rei enim delictorum mirabili modo se produnt, ut experientia testis, cujus rei exempla vide apud *Goblerum hîc. art. 32. Plutarchum, & Phil. Camer. cent. 2. med. histor. c. 94.* quos allegat *Zieritz. hîc, verb. eo ipso tempore.* Confer *H. Arnif. in doct. polit. c. 2. p. (mibi) 40.* Quod conscientia mala interdum ita facinorosi animum verberet, ut is semetipsum cogatur prodere, exemplum ejusdem rei vividum & horrendum alibi commemorat alius. Erat in quâdam Germaniæ civitate Caupo, vir honesti nominis. filiam habens unicam, ut benè educatam, sic benè dotatam. Hanc ambibat Oeconomus, Juvenis solers & industrius: sed, quia tenuioris fortunæ, & abjectæ conditionis homo, facilè repulsam tulit. Quandoquidem verò aliàs rei domesticæ benè præfuerat: Dominus ipsi suus, cum conjuge & filiâ in thermas abiturus, totius Oeconomix administrationem concedidit. Accidit interea, ut mercator quidam eo loci diverteret, cujus opulentiâ servulus ille inescatus, noctu ipsum obtruncavit, & exanimem in stabulo quisquiliis obruit: equum verò, ipsius & vestimenta nummis commutavit. Cædes hæc nefanda manebat ad tempus, & occulta & inulta. Nam cum paterfamiliâs è thermis domum rediisset, & rem omnem interea per servulum, probè administratam comperisset: majore ipsum porrò benevolentia est persecutus. Non multò post furcifer aliud malitiæ suæ contegendæ glaucoma obduxit; falsas & mentitas sub nomine consanguinei cujusdam adornabat literas, octoginta nummis aureis oppletas, heroq; suo eas monstrabat, prætendens, his se domum ad paternæ hæreditatis divisionem, licet invitum, avocari, & rogabat, ut dimitteretur: reditum se sanctè polliceri, & interea pecuniam in alios usus sibi ex patriâ missam, majorem partem quasi obsidis loco, deponere, & Domini patrisfamiliâs fidei ac custodiæ concedere velle. Annuit paterfamiliâs, nihil mali subesse ratus, & dimittit, licet magno suæ Oeconomix incommodo. Brevi post revertitur scelestus ex patriâ, & deposita ampliore pecuniæ summa, & spe acceptæ hæreditatis pinguioris facta indubia, ita sese apud patremfamilias insinuat: ut ex servulo gener factus, & hæres filiam in matrimonium nanciscatur. Et quia integer vitæ, scelerisq; purus existimabatur, in ordinem Civitatis Senatorium ascitus fuit: quo munere laudabiliter & inculpate defunctus est, usq; dum facinoris commissi atrocitas cauteriatè ipsius conscientix acriores paulò morsus, & aculeos infigere, & stigmata imprimere cœpit: Ex quo maluit supplicio præsentissimæ mortis, quàm conscientix ad mortem sauciatae intolerabili cruciatu diutiùs torqueri. Cùm die quodam in Consistorium, sive Judicium vocatus, suam quoq; in latronem mortis reum sententiam